

*Aristoteles Rex & Philosophus.*

Nunquam vidi aliquod animatum crescere sine putrefactione, nisi autem fiat putridum, in vanum erit opus Alchimicum.

Morienes: Hæc terra cum aqua sua putrefit & mundificatur, quæ cum fuerit mundificata, auxilio Dei totum opus dirigetur.

Parmenides Philosophus: Nisi corpus diruatur, confringatur & putrescat, & conuertatur in substantia substantiali, non potest illa virtus occulta extrahi nec corpori commisceri.

Baccho Philosophus: Quando naturæ corrumpuntur & putrescunt, tunc gignunt. Plato Philosophus: Habemus exemplum in ouo quod putrescit primò, & tunc gignitur pullus, qui post totum corruptum est animal viuens.

Plato: Nota, quòd sine corruptione generatio fieri nō potest, vnde studeas in putrefactione. Philosophus: Corruptio vnius, generatio est alterius.

Hermes: Secundus gradus est putrefacere & terere. Dispositio itaque eius ipsum primò denigrare & putrefacere. Plato: Primum regimen Saturni est putrefacere, & Soli imponere. Compositio verò fit ex quatuor noctibus.

Democritus: Non sis piger nec velox multum in putrefaciendo calculos, & corpora collocata & coniuncta, attende in opere tuo, & proficies. Rosinus ad Euthyciam: Accipe animal marinum, desicca & putrefac. Morienes: Nullum crescens & nascens fit nisi post putrefactionem. Si autem putredo non fuerit, fundi nec solui poterit, & si solutum non fuerit, in nihilum redigetur.

Morienes: Lapis noster est confectio ipsius magisterij, & assimilatur in ordine creationi hominis. Nam primum est coitus, secundum conceptio, tertium prægnatio, quartum ortus, quintum sequitur nutrimentum. O charissime, hæc verba Morienis intellige, & non errabis in veritate. Aperi ergo oculos tuos & vide, quòd sperma Philosophorum est aqua viua: terra autem est corpus